



Handwritten text on a rectangular label, possibly including the title "THE HISTORY OF THE UNITED STATES OF AMERICA" and the author "BY J. ADAMS".

10

C
AE4
.B4
1707
v.1
c.1



1080047254



M A G N U M
THEATRUM
VITÆ HUMANÆ.

MAGNUM
THEATRUM
VITÆ HUMANÆ,

HOC EST,

RERUM DIVINARUM, HUMANARUMQUE
SYNTAGMA CATHOLICUM, PHILOSOPHICUM,
HISTORICUM, ET DOGMATICUM;

Ad normam Polyanthææ universalis dispositum.

PER LOCOS COMMUNES ALPHABETICO ORDINE DISTRIBUTUM,
novisque Titulis, Definitionibus, Apophthegmatibus, Hieroglyphicis, nominum Ety-
mologiis, Historiis, & Exemplis locupletatum; necnon serie Summorum Pontificum,
Imperatorum, Regum, Principum, &c. ad hanc usque diem auctum, & ornatum.

AUTHORE
LAURENTIO BEYERLINCK

THEOLOGO, PROTONOTARIO, CANONICO,
& Archipresbytero Antverpiensi.

TOMUS PRIMUS,

Continens Literas **A, B.**



VENETIIS, M. DCCVII.

Apud Nicolaum Pezzana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

C
A4
B4
1707
V1

MAGNUM
THEATRUM
VITAE HUMANAE

SYNTAGMA CATHOLICUM, PHILOSOPHICUM,
HISTORICUM, ET DOGMATICUM.

Ad notam Polyanthes universalis dispositum.

PER LODOV. COMMUNES ALPHABETICO ORDINE DISTRIBUTUM.
auctore Laurentio Beyslinck

LAURENTIO BEYSLINCK
THEOLOGO, PROTONOTARIO CAMBRIC.

TOMUS PRIMUS



VENETIIS, M. DCC. LVII.

Apud Nicolaum Pazzanum
SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.



LECTORI
BENEVOLO S.

MAGNUM Librum, magnum malum ille dicebat: ast ego magnum librum, magnum bonum: neque enim disciplina, rerumve, seu humanarum, seu divinarum, doctrina tradi possunt, nisi per vocem, aut scripturam. Vox ad paucos, scriptura ad omnes pervenit. Neque vox ad tonandum in dies, menses, annos continuos sufficit: scriptura omni hora, loco, tempore, sine interruptione, sine lassitudine loquitur. Si ergo erudita vox est viri eruditi, prodest paucis quidem, atque infelicitas memoria facit, ut non profit praesto est. Ut quod reconditum servatur in opportuna tempora in promptuario. Magnum ergo bonum boni Authoris bonus liber: eò autem majus, quò bonum magis latiusque sui fuerit diffusivum, & quò ex scientia sua Author plus boni aliis bene communicat.

Quare & libri illi proculdubio sunt optimi, qui maximè plurimis conducunt, qui non unum tantum stillicidium, sed tota maria congerunt, unde haurire omnes, sitim omnes explere possint, qui de omni non scibili tantum uno dissertant, non de levi & sterili aliquo argumento, (in quo seligendo multi sapè & eruditi Viri operam & oleum perdunt. Turpe est difficile habere nugas.) Apotheca rursus optima, unde omnibus depromi potest, quo singuli opus habent. Theatra illa optima, ubi omnes omnium Ordinum homines commodissimè considerare, & spectare optimè possunt. MAGNUM quod hic datur THEATRUM VITAE HUMANÆ, Amphitheatrum est Universi, in quo commodissimè quidquid sub cælo est spectari, & quicumque sub eo degunt homines spectare, res divinas, humanasque omnes cognoscere possunt. Habent in eo ordinem suum

suum Theologi, Jureconsulti, Medici, Philosophi, Historici, reliquarumque omnium scientiarum amatores, invenient singuli, qua professioni sua congruant, deproment qua desiderant universi. Non redibit jejunus Mathematicus, Ethicus, Philologus, Rhetor, Orator, Concionator, Grammaticus. Omnes qua sua sunt, quarent, omnes invenient. Atque invenient quidem facillimè nunc omnes, quando ad eum ordinem nunc omnia redacta sunt, quem elementorum Alphabeticorum ratio omnibus ipsa ingerit. Id enim Authori consilium prudentissimè placuit, ut optimè omnibus consuleret, omnibus commodissimè labores suos communicaret. Nam subtilior dispositio ex fabrica materiarum, atque architectura argumentorum, nec doctis quidem omnibus obvia, nec omnibus disciplinis est communis. Optima proficiscendi ratio per viam planam, omnibusque patentem, adeò ut stulti non errent per eam. Ac praesertim si exercitus, si legio ducenda est, via regia ineunda est. Nam iis, qui solitarii vagantur, per compendia ire permissum; sed incidere in dispendia non minus consuetum. Igitur Author ducendis omnium disciplinarum sectatorum legionibus, non meliorem viam praeire poterat, quàm qua Alphabeticum ordinem planè proponeret, qua singuli, quò pergerent, rectà pervenirent. Atque hoc quidem Authoris institutum, nunc accipe Operis Proscenia.



THEA-



THEATRI VITÆ HUMANÆ PROSCENIUM.



Citum illud, atque opinione, usu, consensuque firmatum est

*Res magnas, non eodem tempore nasci,
Atque perfectionem omnem suam simul indipisci.*

1. Id adeo apparet, primum in ELEPHANTO (quanto animali!) quem decem annis in utero gestare (ait Plinius lib. 8. & Plautus in Truculo) vulgò existimant; cum interim insecta plurima, mole exigua, ac minutæ aliæ bestiolæ, subito quasi ortu, & magna copia, non sine magna multorum admiratione succrescant.

2. Lucius certè Florus, suo ad Romanam historiam prologo, in maximo, atque eminentissimo Romani Populi Imperio, quatuor veluti gradus, ac processus (ut ipse nominat) animadvertit, quibus maxima illa potentia ab imo ad summum paulatim creverit, ac demum in seipsa, quasi tanta mole fatiscens, deniq̃ pedetentim conciderit.

3. Quinimò (ut ad opera quædam Romana, huic nostro THEATRO magis affinia, veniamus) pro ludis Romæ exhibendis, sub urbis initium, scena ipsa (ut in populo agresti, atque inculto) ex foliis arborum, ramisque prætensis extruebatur, atque ornabatur. Inde CIRCUS ex aggestis cespitibus, ut actores, ac cursores conspici facilius à populo circumstante possent, paulatim componi cœptus. Postmodum Tarquinius Priscus, Rex Romanorum V. CIRCUM ipsum ex lignis construxit, sed ita ut in illo spectatores à Sole, ac pluvia liberi consisterent. Postea M. Scæurus in ædilitate sua, gradibus ac pulvillis, in Theatro adhuc tamen ligneo constructis, effecit, ut populus Romanus spectans consideret. Et duobus quasi navigiis (verba sunt Plinii lib. 36. c. 15.) impostis, ex duobus cardinibus, quibus scena volvi poterat, Populus tot Gentium domitor dependeret. Pompeius verò Magnus, THEATRUM non jam temporarium, aut ligneum, sed lapideum ad securitatem, & perpetuitatem firmius, tutiusque construxit. Succedere tandem sub Imperatoribus Romanis, Theatra, Amphitheatra, Naumachia ad omnem luxum, atque admirationem composita, adeò ut etiam tanta moles, expansis desuper velis carbassis varii coloris, ad solem, pluviaque arcedas, maximo sumptu, impendissimè tegetetur. Ita à parvis initiis ad summa, atque admiranda in hoc genere opera transitum est.

Id ipsum de hoc nostro THEATRO (quod nunc spectandum toti orbi, post tot labores, atque impendia, proferimus) affirmare mihi posse videor, in quo prima Editio, unico tantum Tomo constans, magno tamen plausu, anno 1556. à viris doctis, tanquam à circumstante corona, excepta fuit. At quinquennio post ita moles ejus crevit, ut anno 1571. tribus Tomis methodicè ordinatis, atque in xx. volumina digestis, cdi debuierit. Anno autem 1586. ita hoc ipsum opus, ix. voluminibus additis, exaggeratum est, ut xv. jam in Tomos benè magnos distributum prodierit. Adhuc annis aliis 18. elapsis, novo auctario exornatum, se deniq̃ spectandum anno 1604. orbi præbuit. Postremò tandem, hoc an. 1631. magna industria, ac labore perpolitum, ordine non parum immutato (propter eos, qui methodo illa accurata, ac philosophica in hoc quasi variæ historiarum studio non delectantur) in vii. justæ magnitudinis Tomos, unâ cum indice distributum, se deniq̃ benevolis spectatoribus ad usum, delectationemque repræsentat. In illo verò ita comendo, atque exornando, quinque homines diversis locis, ac temporibus (singuli pro suo modulo) ita elaborarunt, ut ad eam perfectionem, in qua nunc orbi apparet, perduceretur, adeò ut *Primus* fundamenta jecerit: *Secundus* ædificium ipsum erexerit, ac formatit: *Tertius* id ipsum non nihil auxerit, atque expolierit: *Quartus*, & *Quintus* tandem extremam manum, atque Colophonem, tam vasto operi addiderint. De quibus singulis (nulla fidei, aur religionis, sed tantum laboris, atque industria ratione habita) pauca quædam, pro instituta à nobis præfationis munere, prælibanda esse visa sunt, ut quibusdam, quantisque viris hoc tantum opus acceptum referre debeat, ad excitandam pro susceptis laboribus benevolentiam, ac futura posteritatis gratitudinem, aliquo saltem modo, Benevolus Lector intelligat.

Primus itaque, qui ad hoc THEATRUM extruendum materiam comportavit, *Conradus Lycobhenes Rubeaquensis*, uti demonstrare possunt. 1. Res patriæ per ipsum, à prima illius origine usque ad hæc tempora, magna diligentia conscripserat, ex quibus *Sebastianus Munsterus* ea, quæ de Rubeaquensibus in sua Cosmographia tradit, compendiosè deprompsit. 2. Idem testatur Apophthegmatum ex statuum genere, aut

fini-

similium, ex omni penè natura desumptorum, atque in ordinem Alphabeti digestorum opus. 3. Varia diversissimorum prodigiorum, atque ostentorum recensio, additis plurimis, quæ in Julio Obsequente aut omiffa, aut deperdita fuerant. 4. Ut interim fileam ejus notas in libellum (sive Plinii, sive Aurelii Victoris &c.) de viris illustribus, itemque in Valerium Maximum, ac Feneftellam; adhuc prolegomena in Justinum, unâ cum Calendario Historico, in quo pleraque memorata digna, quæ certis diebus à condito mundo ad hæc usque tempora apud diversas gentes acciderunt, compendio recensentur. 5. Sed præ omnibus laudanda est ejus industria, atque indefessus labor, quoad hoc THEATRUM conficiendum: immensum ferè exemplorum thesaurum comparavit, ad imitationem Valerii Maximi, Baptistæ Egnatii, Campo Fulgosi, Parthenii, Æliani, &c. Ex infinitis propè, tam veterum, quam recentium Scriptorum lucubrationibus, ita congestis, ut lectiois admirandæ testimonium apud eos, qui tantam exemplorum molem, ex variis hinc inde collectam, paulò accuratius consideraverunt, non immeritò consecutus sit. Unde etiam factum, ut natura ejus tantis, tamque continuis laboribus faciscere, primùm paralyfi correptus sit, quæ illi, & linguæ, & dexteri lateris usum tempore ademitt, donec tandem septennio post, apoplexia graviori accedente, ex hac vitæ statione (opere nondum perfectò) decedere coactus fuerit.

II. Primo hæc ratione sublato, secundo loco successit Theodorus Zwingerus Basileensis Medicus, ac Physices ibidem suo tempore professor, ipsius Conradi Lycosthenis, conditione privignus, sed affectu verè filius, qui molem illam exemplorum, à vitricò suo, sive malis, parente suspiciens, tandem ita breviformavit, ut anno 1565, primam hujus THEATRI editionem in uno Tomo cum magna multorum approbatione emisserit. De qua prima editione in *Prosepiis*, ante secundam editionem præmissis, sic ipse Zwingerus loquitur: *Mirari sæpè mecum ipse soleo, primam editionem tam rudem, & impolitam, tantò fuisse plausu receptam, nisi quòd etiam Satyri, Mimi, & Parodi, qui delectationis causa, Poetarum dramatis interponi solent, non raro majorem vulgi applausum mereantur, quam ipsi Tragædi, Comædi, ac Rapsodi.* Anno autem 1571, secundam editionem, xx. voluminibus in tres Tomos digestis, atque anno 1586, tertiam editionem xxix. voluminibus jam in iv. Tomos distributis, molitus est; in qua utraque editione, multis, qui rerum tractandarum Methodo delectantur, singularis ejus dispositio valde grata accidit. Fuit enim Theodorus Zwingerus, si quis alius, methodi, tum in alienis scriptis eruendæ, tum in propriis etiam observandæ, studiosissimus, ac peritissimus. Prioris illius (de scriptis alienis) testes esse primùm tabulæ in Galeni artem medicinalem, ac de artis constitutione; ad hæc tabulæ perpetuæ in x. libros Ethicorum Aristotelis, quæ commentarii instar esse possint, denique tabulæ in xxi. Hippocratis Coi commentarios. Posterioris autem exemplum luculentissimum in secunda, & tertia hujus Theatri (de qua nunc loquor) editione præbuit, cum nondum satis antea digestam primæ editionis molem, methodo longè accuratiori, per xxix. volumina divisam, in unum quasi corpus, methodo tanquam anima, totum opus dirigente, conformavit.

Horum autem voluminum series, hoc ordine, ac censu, ab Auctore ipso constituta est, ut xx. primis voluminibus actionum humanarum causas internas (quales sunt ipsæ potentia, ac boni, mali que habitus) persequatur, libro autem vigesimo primo causas instrumentales: Ocho denique postremis voluminibus causas externas (efficientem scilicet ac finalem) itemque actionum ipsarum circumstantias (ut sunt tempus, locus, &c.) itemque varios vitæ in hoc orbis THEATRO degendæ modos, ac rationis, prout in sequenti catalogo brevissimè hic descripto cernere est.

Primo itaque volumine in tres libros divisò agit de animi bonis, ac malis: 1. de ipsis facultatibus, ac functionibus: 2. de effectibus facultatum: 3. de earum notis, atque indicis.

2. Volumine, libris 7. constante, agit de corporis ipsius bonis, ac malis: 1. de sœtu humano: 2. de corporis substantia, in ætate, sexu, & forma: 3. de vitæ propagatione, conservatione, restitutione: 4. de sanitate, ac morbis: 5. de actionibus corporis, integris ac lassis: 6. de secundariis bonis, malisque corporis: 7. de morte, variisque accidentibus ei conjunctis.

3. Volumine, libris 11. completente, agit de bonis, malisque fortuitis.

4. Volumine, libris 14. constante, agit de habitibus organicis, scilicet Grammatica, Rhetorica, Poetica, Logica.

5. Volumine, de habitibus philosophicis: 1. de sapientia in genere: 2. de sapientia naturali, seu Physica, & Medicina: 3. de Mathematicis: 4. de Theologia.

6. Volumine, de habitibus practicis in genere, 3. libris: 1. de Ethica, Legibus, Jurisprudentia: 2. de historia: 3. de probitate, & improbitate.

7. Volumine, de prudentia, ejusque contrariis lib. 6.

8. Volumine, de fortitudine in bonis, ac in malis.

9. Volumine, de temperantia, abstinentia, continentia, ejusque contrariis, lib. 4.

10. Volumine, de liberalitate, ac moderatione, ejusque contrariis, lib. 6.

11. Volumine, de magnanimitate, ac honoribus, ejusque contrariis in excessu, ac defectu, lib. 5.

12. Volumine, de clementia, & severitate, ejusque contrariis per excessum, & defectum, lib. 9.

13. Volumine, de integritate, ac veritate, ejusque contrariis, simulatione, mendacio, lib. 3.

14. Volumine, de humanitate, ejusque contrariis, per blanditias, aut morositatem, lib. 3.

15. Volumine, de urbanitate, & comitate, ejusque contrariis per excessum, ac defectum, lib. 3.

16. Volumine, de justitia religiosa in cultu hominum, aut rerum sacrarum, lib. 5.

17. Volumine, de injustitia, atque impietate erga Deum, homines, vel res sacras, idque per superstitionem, aut impietatem, lib. 10.

18. Volumine, de justitia profana, tam in genere, quam in specie, in distributione fida, grata, officiosa, lib. 5.

19. Volumine, de injustitia profana in distributione, & correctione lib.

20. Volumine, de habitibus mechanicis, tum universum, tum in specie quoad operarios, atque opifices, lib. 3.

21. Volumine, de instrumentis actionum humanarum, tum primariis (natura, arte, exercitatione) tum secundariis, lib. 4.

22 Volumine, de beatitudine, ac miseria, lib. 2.

23 Volumine, de locis, lib. 2.

24 Volumine, de tempore, lib. 2.

25 Volumine, de vita solitaria, lib. 2.

26 Volumine, de vita academica, lib. 1.

27 Volumine, de vita religiosa, lib. 5.

28 Volumine, de vita politica, lib. 4.

29 Volumine, de vita œconomica, lib. 4.

Et hæc quidem voluminum, ac librorum series generalis est. Nam particularis alia, qua libri singuli in suos titulos aptè dividuntur, libris singulis propria præponitur, ac sub finem totius Index quadrigeminus. 1. Methodi. 2. Titulorum. 3. Exemplorum. 4. Rerum, ac verborum ordine alphabetico subnectitur, ut omnia facile reperiri valeant.

III. TERTIUS, qui huic operi manum admovit, fuit Jacobus Zvingerus Theodori Fil. qui annis 18. post tertiam editionem præterlapsis, anno scilicet 1604. eandem recognovit, ac plurimum, inprimis recentiorum exemplorum, auctarios Titulorum, atque indicum (ut titulus habet) certitudine ampliavit.

IV. QUARTUS, qui novum ex veteri, ac duplo etiam majus VITÆ HUMANÆ THEATRUM, omnibus suis numeris absolvit, fuit admodum Reverendus, ac doctissimus Dominus, Dominus Laurentius Beyerlinck Antverpianus, SS. Theologiae Licentiatius, Ecclesiæ Cathedralis apud Antverpienses Canonicus, atque Archipresbyter, librorumque Censor, qui anno 1578. ibidem in lucem editus, absolutus apud Societatis Jesu DD. Humaniorum litterarum studiis, Lovanium ad Philosophiam, Theologiamque audiendam profectus est. Plura de vita, & scriptis ejus require in vita sua hic adjuncta.

V. QUINTUS ac postremus, qui hanc etiam quintam, & postremam editionem præcipuè direxit, fuit ANTONIUS HIERATUS, ex diceci Colonienfi oriundus, atq; urbis Colonienfis Senator, ac Bibliopola per multos annos celeberrimus, qui juxta symbolum, quo vivens utebatur, VIRTUTE DUCE, COMITE FORTUNA (sanè & Christianè fortunam intelligendo) magna prorsus in omni litterarum, ac scientiarum genere aggressus est, atque ad finem optatum, tum propria virtute, atque industria fretus, tum Dei favore adiutus, perduxit. Erat enim vir admodum industrius, ac laboriosus, & qui res omnes paulò majoris momenti præsertim, & diù, diligentique secum ipse perpendebat, & de iisdem cum variis amicis, quos in eo genere peritos, versatòque suspicabatur, sedulo, atque accuratè conferebat. Unde etiam factum, ut varia diversorum Auctorum opera, & numero multiplicia, & mole ingentia, cum magno suo, ac Republice litteraria commodo, intra annos non admodum multos, feliciter impresserit, adeò ut communis quasi diversarum artium, ac scientiarum PROMUS CONDUS, jure merito appellari possit. Nam (ut de multis, pauca quædam velut in transcurfu attingam) si quispiam fortè sacram scripturam intelligere velit, habebit ex ejus officina multos sacrarum litterarum, ex utroque testamento interpretes, interque alios

Alphonso Tostati Hispani, Abulenfis Episcopi, Tomo 12. unâ cum Indice in fol.

Alphonso Sarmeronis Societatis Jesu, opera omnia in novum Testamentum, Tom. 16.

Benedicti Pererii Societatis Jesu, in GENESIN, in Daniele, lib. 16. Selectarum disputationum in Sacram Scripturam,

Tom. 5. quorum primus continet 130. disputationes in Exodum, secundus disputationes 188. in epistolam S. Pauli ad

Rom. tertius disputationes 183. in Apocalypsin, cum aliis 23. disputationibus de Mahomete, quartus disputationes 214. in

Evangelium S. Ioan. cap. 9. priora, quintus disputationes 144. in sequentia S. Ioannis capita.

Gasparem Sanctium, in libros Regum.

Joannis Lorini Societate Jesu commentarios. 1. in Leviticum. 2. in Numeros. 3. in Psalmos, tomos tres. 4. in Actus

Apostolorum, tomos unus: sed omnes tanta doctrina referti, ut multorum instar esse possint.

Joannis Pinedæ in S. Iob, tomi 2. de rebus Salomonis, tomos unus.

2. Si verò sanctorum Patrum lectiois studium tuum dicare optas, habebis ex illius industria Patres plerosque omnes, eosque ex optimis, ac correctissimis editionibus, adjecto illustrissimi Cardinalis Bellarmini iudicio, necnon Vallosæ in multos Patres Advertentis, aliique virorum doctissimorum scholæ, & commentariis, ex quibus hi sunt præcipui,

S. Ambrosii Episcopi Mediolanensis, opera in fol.

S. Aurelii Augustini, opera omnia, tom. 10. cum variis indicibus ex correctione Lovanienfium.

S. Athanasii Alexandrini, opera omnia in fol.

S. Basilii Magni, opera omnia.

S. Venerabilis Bedæ presbyteri, opera omnia, tom. 8.

S. Bernardi Claraevallensis Abatis, opera omnia.

S. Bonaventuræ, opera omnia.

S. Cypriani Episcopi Carthaginensis, opera omnia, cum Iacobi Pamelii notis.

S. Epiphani opera omnia, in fol.

S. Gregorii Thaumaturgi, opera Græcæ, & Latine.

S. Gregorii Nysseni, opera omnia.

S. Hieronymi Presbyteri, opera omnia.

S. Hilarii Pictaviensis Episcopi, opera omnia.

S. Hugonis de S. Victore, opera omnia.

S. Isidori Hispalensis, opera omnia.

H. Rabani Mauri opera, ex recognitione Iacobi Pamelii.

S. Theodoretii Cyrensis Episcopi, opera omnia.

Tertulliani Carthaginensis, opera cum correctione Iacobi Pamelii.

3. Si sacrorum Conciliorum cognitionem potius affectas, reperies hic

Conciliorum omnium Græcæ, ac Latine editorum, Tomos ingentes 4. sed qui multorum instar esse possint, unâ cum doctissimis R. D. Severini Bini, & c. notis in Sacrosanctum Concilium Tridentinum unâ cum declarationibus Card. ac remissionibus ad varios Doctores, qui ejusdem Concilii decreta declarant, atque explicant.

L. B. Theatr. vit. Human. Tom. I.

4. Si juris tam Canonici, quam Civilis desiderio flagras, comperies
R. D. Francisci Zypaei novum jus Pontificium.
Joannis Azorii Societatis Iesu, tomus 3. Institutionum Moralium.
Vincenzii Filicij institutiones morales, tomus 2.
Aristini Tepati compendium decisionum juris, fol.
Borrelli summam omnium decisionum, fol.
Francisci Marci decisiones, fol.
Fachini controversias juris.
Flaminii Parisum de resignatione benefic. &c. cum additionibus.
Garciam de beneficiis tom. 2. cum additionibus.
Menchii varia opera.
Andreæ Gail. observationes cum tractatu de pace, &c.
Illustissimi Card. Tuscij practicarum conclusionum, tomus 8.
 5. Si sacram, profanamque historiam scire exoptas, tibi suppeditabit
Cassari Baronii Annales, tomus 12. unâ cum Martyrologio.
Eorum Annalium compendium per Henricum Spondanum cum Auzario.
Iacobi Salliani annales sacr. & profan. tomus 6.
Historiam Societatis, tom. 2.
Nicolai Trigantii expeditionem Sinensem Germanicè.
Vastovii Vitæ Aquilonarem de Sanctis Suecia.
Ituransii historiam Hungaricam, &c.
 6. Si verbi divini concionum, habendarumque zelo teneris, habebis
Lopez Epitomen SS. Patrum, item conciones Petri de Palude, Bernard. de Buisis, Costerij, Nucæ, Diez, Beyerlinck, Ba-
rai, tom. 3. &c.
 7. Si controversias inter Catholicos, ac hæreticos, ab initio Ecclesiæ motas requiris, offeret tibi *Bellarminus*
tom. 3. omnes discutens, item Andreæ Vega de justificatione, &c.
 8. Si Theologiam, Philosophiamque adamasti, hic tibi occurret
Summa S. Thomæ, Gillius de Theologia, atque attributis divinis.
Joannis Duns Scoti Logica, Pauli Sancinatis metaphysica, &c.
 9. Si erudito illo Mathematicorum pulvere delectaris, suppetent
Christoph. Clavij Societate, tom. 5.
Civitatum totius orbis, tom. 6. Latin. Gall. German.
 10. Si interiores illas litteras, quæ ab humanitate nomen invenerunt, sectaris, occurrent tibi *Cicero, Vir-*
gilius, Horatius, Sallustius, &c. præcipuè verò *selektorum commentariorum in orationes Ciceronis, tom. 3.*
 11. Si antiquitates Romanorum, aut etiam Poetarum, &c. mysteria venaris, servient tibi, præter alios
Barth. Rogini antiquitates, Pierii Valeriani Hieroglyphica.
 12. Si denique miscellanea, & scriptores, qui de variis tractant, perquiras, habebis *Lælii Bisciola successiva-*
rni lectionum, tomus 2. S. Isidori, Venerabilis Bedæ, & Rabbani opera, quæ variis simul attingunt; sed præcipuè de-
siderio tuo satisfaciunt Magna Bibliotheca SS. Patrum, ac veterum scriptorum, Tomus 15, digesta, unâ cum Indi-
ce in varias classes distributo.
 Denique quod ad hoc Theatrum peculiariter spectat, cum Basileensis Theatri editione, partem aliquam jure
 hæreditario haberet, videreque illud propter errores quosdam à Catholicis notatos, in Hispaniam præcipuè,
 atque Italiam transmitti non posse, exemplaria, quæ ipsi supererant, Francofurtensi cuidam Typographo di-
 straxit, jure tamen suo, ut THEATRUM aliud (si ipsi liberet) posset conficere, sibi reservato. Quo ex tem-
 pore animum ad novam THEATRI editionem adjecit. Inde communicato cum variis amicis, per fami-
 liaria colloquia, aut per litteras ultrò, citòque datas, consilio; tandem cum admodum Reverendo Domino
 Laurentio Beyerlinck &c. de opere incipiendo, ac perficiendo, convenit ea conditione, ut quæ ex antiquo
 THEATRO, sine ulla erroris suspitione, ac nota retineri possent, fervarentur. 2. Deinde, ut quoniam mul-
 ti accuratam illam methodum in re historica minus probabant, in titulis ordinandis ordo alphabeticus ser-
 varetur. 3. Ad virandam morosam exscribendam chartis quibusdam in magni voluminis speciem dis-
 positis affigerentur. Quæ in re admodum liberalem se, ac magnificum, in variis sumptibus faciendis, An-
 tonius Hieratus exhibuit; neque ulli labori pepercit, donec quod animo circa hujus THEATRI editio-
 nem destinaret, planè perfectum, absolutumque videret.
 Et hæc quidem Antonius Hieratus quoad rem typographicam præstitit, magno (ut ante dixi) suo, ac
 Reipubl. bono, pluraque præstitisset, si ei vitæ usura diuturnior obtigisset. Interim tu hæc ejus laboribus,
 benevole lector, utere, fructu, atque animæ ejus, qui de Reipubl. litteraria tam præclare meritus est, bene præ-
 care.



VITA AUTHORIS.

LAURENTIUS BEYERLINCK natus Antverpiæ, patrem habuit Adrianum Beyerlinck Ber-
 gizonensem. Is Antverpiæ, post Italiam, Galliam, Germaniam peragrata, & acquirantem
 rei herbariæ cognitionem non vulgarem, pharmacopolium celebri praxi exercuit; & acquirantem
 patrem mox in eunte ætate, post prima literaturæ lineamenta delibata, in palæstram studiorum
 Societatis Jesu misit: eo studio emenso, Lovanii Philosophiam hausit, inter priores
 non postremum ordinem consecutus, & arrium Magister renunciatus est Kal. Decembris 1599.
 Tum porrò de vitæ genere deliberatio instituta: medicinæ studia parentes suadent: & pridem
 incepta pharmacorum cognitio, usque adeò, ut eam viam jam mirè cepit arripere, sed occurrit
 Jacob. Bayus S. T. Professor, Collegii Sabaudia præses, in quo habitabat, in contrariumque per-
 suadet, ut ad Theologiam animum applicaret: patet; & vix in eo studio annum emensus, ad
 Poeticæ, & Rhetoricæ professionem in Collegio Vaulxiano, quod Gandense vocant, adsciscitur, in eaque triennio
 se, discipuloseque exercet: neque interim facta studia intermittere, atque ad sacras actiones se disponit: clericorum ergo
 numero adscribitur: minores, majoresque Ordines gradatim recipit, & sacerdotali ornatur Kalendis Junii 1611. à
 Marthia Hovio Archiepiscopo Mechliniensi, collato titulo Parochialis Ecclesiæ de Herent, in suburbis Lovan. sitæ.
 E Collegio Vaulxiano ad cœnobium Berthemicum Can. Reg. Ord. S. Augusti, transit, & seliquanno Philosophiam
 tradidit, & parochi interim munia strenuè subiit, atque intra muros etiam in S. Gertrudis, aliisque Ecclesiis, frequentes
 ad populum conciones, variæque orationes cum applausu dixit.
 Tandem evocatus in patriam à Joan. Mireo Antverpiensium Episcopo, primam Seminarii Diocæsani præfecturam sus-
 cepit, anno 1617. ibidemque Philosophiam, Theologiamque multis annis prælegit, annoque insequente S. T. Laurea
 Lovanii donatur, & vix dum secundo anno post ad præbendam gradatim affectum adlegitur.
 Mox ab adventu officium Archipresbyteri ruralis in districtu Antverp. & Litenfi ei committitur, ac demùm an-
 1621. cœ 14. à Joan. Maldero Archipresbyteri urbani dignitate cumulatur, & à Paulo V. honorariis Protonotarij codicil-
 lis decoratur. In omnibusque simul functionibus ei demandatis impigrè elaboravit, eaque cum laude, quam rarè ex
 singulis singuli referunt: ita ut tamen neque studia intermitteret, quibus ita actiones temperabat, temporaque partici-
 paret, ut utriusque satisfacere, antelucanum & vespertinum, & auroram lucis amicam studiis dabat, cæteras ho-
 ras divinorum officiorum exercitiis, negotiis, administrationi demandatæ, sacris concionibus concipiendis, dicendis-
 que; neque enim, quamvis prompta esset ei eloquentia, nisi benè præmeditatus dicere solebat.
 Seminario præfedit ad finem usque vitæ, quamvis ei domus canonicalis obtingeret: illudque auxit admodum spiri-
 tuali proventus, & temporalis dimisit ex eo in vineam Domini operarios centum circiter, & viginti, redditus seminarii
 annuos, impetratis industriè elemosynis, donativis, atque aliis insigni incremento auxit, perpetuamque disciplinam
 benignè simul, & severè reinuit. Ruralis Archipresbyteri officium cum susceperet, impetrato ab hostibus commea-
 tur, turbidis illis tempestatibus, quibus omnia sursum deorsum versa erant, & Ecclesiasticæ regulæ admodum luxatæ,
 magnos subiit labores, dissipando, adificando, plantando: quorum fructus videre sibi gratulati sunt Episcopi, cum per
 induciarum malaciam ire in vineam suam, visitateque licuit. Rurali Archipresbyteratu functus est penè ad finem vitæ,
 etiam urbano accepto, quod hic ob Capitulj simul sollicitudinem, & jurisdictionem, cui omnes etiam Ecclesiæ urba-
 nae parent, eam negotiorum multitudinem non præberet, quin alterius curam non paterentur; ejus verò functiones ita
 temperavit, ut debito satisficeret, neque tamen limites cum ullius offensâ in ancipiti jurisdictionum via prætergrediretur.
 Conciones magno concursu populi, applausuque frequentes habuit, pro ea qua valuit vernacula eloquentia, & lati-
 na dictione; in Cathedrali, celeberrimis plerumque festis, & alibi, ut solemnitates, & vota eorum, quorum res erat, pos-
 tulabant. Ita doctè, ut in schola esse auditores sibi viderentur: ita de fidei controversiis placidè, ut & ab hæreticis au-
 dierit lubenter: ita valido motu, ut omnes ad virtutum detestationem, ad virtutum amorem, inflammaret. Speciem ex-
 hibent supplementum, tum ab eo datum Promptuario Stapletonii, Conciones in lumen emissa, & quæ adhuc prælam
 expectant; sed speciem tantum, non ipsum Oratorem: ut de Demosthene & Achilles.
 Non exiguum ei donum fuit, Principibus placuisse viris, atque inter eos Archiduci Alberto, à quo donatus fuit au-
 rea effigie, quam testamento ad statum B. Virginis in Cathedrali suspendi iussit: aliisque promissis, quæ utriusque mors
 interceptit. Marthia Hovio Archiepiscopo Mechliniensi, cui quoad vixit in primis charus fuit, Joan. Mireo, & Mal-
 dero Episcopis Antverp. à quibus officiis, & beneficiis auctus, quique illis opera quam maxime usi sunt; Baronium,
 Bellarminum aliisque magnos coluit, qui & illum litteris ad eum datis honorarunt.
 Dotes sanè habuit præclaras atque multiplices, scribendo, dicendo, agendo, quæ in singulis raro omnia concu-
 runt, in aliis studia actiones impediunt, in aliis doctrinæ profunditas exuberantem verborum fluxum remoratur:
 hic in omnibus omnium horarum fuit; in conversando facilis, comes, & cum gravitate factus, apophthegmatibus ple-
 nus, eademque opportuè deprimens; in agendo apertus semper, candidusque, cor duplex & os bilingue oderat; semper in id quod propositum erat, validè incumbere, indefatigatus studiis, atque actionibus, in perpetuo labore
 sine labore esse videbatur.
 E. B. Theatr. vit. Human. Tom. I.

Nec tamen per labores, pietatem, pietatisque exercitia, ac quotidianam Missæ celebrationem intermittere, nec in actionibus vite innocentiam: quas cum ita institueret, urbonis omnibus placeret, non caruit tamen aliquando illius virtus aduersariis, quorum commenta veritas dispulit, falsasque calumnias detexit.

Temporivè de peculo dispossuit, ut non vivus tantum, sed & post mortem pius esset. In eo ergo, quamvis parsimonia, atque industria parto, in piis causis erogando omnino profusus, cum in consanguineos ferè nimium parcus esset, nec quiquam, nisi pietatis intuitu tribuile videretur. Sacram suppellectilem multam, ac pretiosam variis Ecclesiis dedit; Bibliothecam in lignum Universitati Lovaniens, quasi primitias publicæ; cætera penè omnia in sacra, ac studiosorum stipendia, burfas hodie vocant.

Latè excurreret dictio, si panegiricis illum laudare mens esset, & non tantum digito monstrare feriem vitæ illius, atque decurrerem.

Igitur mense Junio 1711. Colonia magnis itineribus Bruxellam reversus, toto illo die ferventi sole adfusus, vesperi navem conscendit, ac post nocturni frigoris, marinæque aquæ, quam Schaldis adfert, antipathiam passus, postmodum in processione summè solemni, atque anniversaria hujus urbis, eisdem solis calores iterum passus, vehementem febrem contraxit, quam patienter quindecim plus minus dies ferens, tandem post piè suscepta pro more Catholicæ Ecclesiæ sacramenta absumpsit, ac melioremque sedes translatus.

Libros in lucem hos misit.

Apostolozum Christianorum typis Plantinians, 8.

Opus chronographicum, ab an. CIO. 10. lxx. usque ad an. CIO. 100. XII. quod chronici Opymeriani antiarium est, apud Verdusium 1512. fol.

Promptuarium morale super Evangelia festorum anni totius. Item Commune Sanctorum, Colonia quater editum, Tomi III. apud Ant. Hieratum, 1613. 8.

Selectas etiam Conciones variorum argumentorum cum Catholicas tum morales, Tomo mo Colonia apud eundem, 1627. Tractat. Synodicum ad Synodum Dordracenam: ubi de Synodorum institutione, &c. 1619. 8. Antwerpia.

Examen professionis Marci Ant. de Dominis, Archiep. Spalatenfis, Antwerp. apud Moretum 1617. 8.

Parentalia in funere Ioan. Mires Episcop. Antwerp. ibid. 1611. 8.

Parentalia in funere Matthia Hovii Mæch. Archiepisc. 1620. 4.

Orationes 11. in exequiis Philippi III. Regis Catholici, & Albertipii, Belgarum Principis. Antwerp. habitas, ibid. 4.

Biblia sacra variorum Translationum, apud Keerbergium 1618. fol. Tom. III.

Idiomate vernaculo dedit responsa Catholica ad Quæstiones obviatas Religiosis Reformate, typis Verdusii 1609. & iterum 1617. 16.

Item vitas 111. Apostolorum Antwerpensium SSS. Eligii, Voilebrordi, Norberti, apud Corn. Verschuerm, in 4.

Meditabatur plura, & maxime hoc ipsum HUMANÆ VITÆ THEATRUM, de quo D. Franciscus Suertius in Athenis Belgicis sic loquitur: Inter ejus opera, non minimo loco habendum MAGNVM illud THEATRVM HUMANÆ VITÆ, studio & opera Comradi Lycosteni conceptum, à Theodoro & Jacobo Zuingeri in varias classes distributum, quod propediem Typis Antonii Hierati Colonienfis Typographi divulgandum speratur, priori illo emendatius, ab erroribus repurgatum, novis titulis, dogmatis, historiis ac exemplis, cum sacris, tum profanis, ad locupletatum, ut ad oculo juste molis tomos extendendum existimetur, & in ordinem Alphabeticum, locosque communes, sublata priori confusione, ad normam UNIVERSALIS cujusdam POLYANTHÆ digestum, ut quisjam sextum annum (& amplius) quando per occupationes licet, in eo desudet. Hæc ille. Jamque per commodum, opus hoc totum abolverat, præter Indicem, qui tamen ab alio, etiam SS. Theologie Licentiato, suppletus est, cum supremum Imperator, atque AGONOTHETES, ex hoc vitæ, ac perfectionis Christianæ studio Athletam suum, anno ætatis suæ ferè quinquagesimo, evocavit, dignum quidem (quoad Rempubl. Christianam) longiori vita, ut alia quedam opera, quæ animo destinaret, periceret, atque inter alia hujus THEATRI Compendium, unico volumine contentum; sed Deo Opt. Max. aliter visum, qui ATHLETAM suum, laudabiliter etiamnum currentem (juxta symbolum ipsi in vita usurpatum) ad æternæ salutis bravium evocare voluit, palmamque victoriæ comprehendere concessit.

Mortuo parentum est solemnitè in Ecclesia Cathedrali, corpusque paterno sepulchro in sacello S. Thomæ illatum die natalis S. Joannis Baptistæ, an. CIO. 100. lxxvii. Testamenti executores secundum tabulas in Ede Cathedrali ex marmore insigni, epitaphium polita, peritaque manu factum, ut effigie vultus insita, ut ille oculos, ut ora ferebat, hoc posterunt.

D. O. M. S.

LAURENTIUS BEYERLINCK

Antverpiæ natus, litteris que excultus,

Lovanl Philol. & Theolog. haufit,

Ad Seminarl curam huc evocatus,

Præfuit, & fecit benè.

Hujus Ædis Canon. & Libb. Censor

Districtus, dein urbis Archipresbyt.

Nec non S. R. E. Protonotar.

Tot muniis cum laude obitis,

Concionibus, scriptis sacris ac profanis,

Vitæ innocentia, atque in Deum pietate

Apud cives & externos clarus obiti

XXI. Jun. M. DC. XXVII. ætat. XLIX.

Benè lector apprecare.

ELEN



ELENCHUS TITULORUM ET ARGUMENTORUM OMNIUM, QUÆ HOC TOMO PRIMO, sub literis A, & B, continentur.

In quo numerus Arithmeticus folium, sive paginam libri demonstrat.



Littere dignitas, vis, usus, & significationes symbolice in sacris, & profanis.

A tertio, & quinto multiplicatum quid denotet? Aaron. Vide Indicem generalem. ABBATIS etymologia, definitio, usus, munus. Abbatum varia genera. Electio, professio, ætas requisiti, auctoritas, potestas, dignitas, & prerogative. Ordo inter se, conformatio & beneficio. Abbates doctrina, & sanctitate illustres.

ABBATISSÆ quæ, earumque potestas. ABDOMEN. Vide Affectus corporis. ABLIGURITORES, & decociores, qui & unde dicti, eorumque indicia hieroglyphica, & jocus.

ABNEGATIO, & abnegare seipsum quid? Abnegatio facultatum. Vide Abrenunciatio.

ABOMINATIO quid, & ejusque etymologia. Abominaciones quæ apud Aegyptios, Judæos, Fideles.

Abominacionis ritus, sive forma. ABORSUS, sive ABORTUS, quid, & unde dictus? Ejus causæ procurantium pœna, & exempla. Abortio in pœnam data.

ABRASIO quid? Usus apud Gentiles, Christianos in Laicis, Clericis, Episcopis, De magia suspectis.

Prohibitio apud Judæos, Nazaræos. Ritus varii apud Ethnicos. Abrasio in notam Servitutis, Ignominie, Scelerum, Norionis, Ludibrii, Manumissionis, Naufragii, Luctus, Nobilitatis, Ineplicitudinis ad regnum.

De abrasione jocus. ABRENUCIATIO quid, quæ complex, quando faciendâ, & quamdiu servanda? AROGARE. Abolere. Tollere. L. B. Theatr. vit. Human. Tom. I.

Quid? Puta Leges. Consuetudines. Scripta. Edicta. Testamenta. Cur? Causa Tranquillitatis. Ignorantia. ABSENTIUM rerum Desiderium. Rei bonæ. Puta Immortalitatis. Scientiæ. Arcanorum. Sapientiæ. Scultitæ. Alimentorum. Conviviorum. Vindictæ. Divitiarum. Honorum. Regni, regionis occupandæ. Condolentiæ amicorum subditorum. Patriæ reditus ab exilio. Pacis. Quietis. Libertatis acquirendæ. Diei, Lucis.

Rei malæ. Mortis. Calamitatis publicæ. Personarum. Principum, Procerum. Liberosum, seu prolis. Desiderium nullum. Puta Patriæ. Condolentiæ amicorum. Auditionis.

ABSOLUTIO quid, & unde dicta? Quorum? Puta Infantium, & proborum. Pontificum. Regum. Ducum belli. Mortuorum.

Quoties? A quo nomine? Usputa Stupri, incestus, adulterii. Particidii. Fœtus suppositi. Quæ occasione? Puta ob Accusatoris. Inconsiderantiam. Impudicitiam. Potentiam.

Testis producti vanitatem. Patroni, seu defensoris. Eloquentiam, prudentiam. Integritatem, locum.

Rei, seu accusati Innocentiam. Taciturnitatem, securitatem. Eloquentiam. Defensionem prudentem.

Examen (Ignis. Aquæ. Monomachia. Improbicatem, impudicitiam. Confessionem ingenuam, apertam. Supplicationem, preces meritas. Dignitatem. Judicis (Odium alterius. Invidiæ. Merita. Animadversionem.)

Amicorum gratiam, intercessionem. Qualiter, & per quos? Puta Divinitus Humanitatis, à Viris, mulieribus. Hostibus, inimicis. Rhetoribus.

Quomodo? Puta Vi, dolo. Suffragio. Jure, injuria. Intercessione, precibus aliorum.

Absolutio, seu vacatio à munere gravi, & molesto. In genere quovis. In specie, à Suffragandi munere. Juramento. Militia, hospitio. Cura, tutela. Gladiatorio munere. Ministerio domestico. Funeris deductione.

Absoluti ab Ære alieno, Convicio, maledicto. Illusione, inundatione. Abstemiæ. Vide Abstinentia.

ABSTENTI qui? ABSTINENTIAE definitio, & etymologia. Abstinentia alimentorum in Genere à Cibo, & potu. Specie à Radicibus, herbis, fructibus. Oleo. Carnibus, & animalibus. Oleribus. Oviparis, Cupediis, Condimentis.

Absinentes qui? Puta Sacerdotes Ethnicorum. Philosophi, fenes. Cur? Causa Religiosis. Luxus vitandus, vitæ servandæ. Valerudinis. Consuetudinis. Luctus. Exnecessitate.

b 3 Ab-